



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum corona sit ordo? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

*Vtrum corona sit ordo?*

164

**A**d secundum sic proceditur. Videtur, quod corona sit ordo. Quia in actibus Ecclesiæ spiritualia corporalibus respondet. Sed corona est quoddam corporale signum, quod Ecclesiæ adhibet. Ergo videtur, quod signatum interius ei respondeat: & ita in coronatione imprimetur character, & erit ordo.

**¶** 2 Præterea, Sicut ab Episcopo solum datur confirmatio, & alij ordines, ita & corona. Sed in confirmatione, & alijs ordinibus imprimitur character. Ergo & in corona: & sic idem quod prius.

**¶** 3 Præterea, Ordo importat quemdam dignitatis gradum. Sed clericus hoc ipso quod clericus est, in gradu supra populum constituitur. Ergo corona, per quam efficitur clericus, est aliquis ordo.

**SED** contra, Nullus ordo datur, nisi in Missæ celebratione. Sed corona datur etiam absque officio Missæ. Ergo non est ordo.

**¶** Præterea, In collatione cuiuslibet ordinis fit mentio de aliqua potestate data: non autem in collatione coronæ. Ergo non est ordo.

**RESPONDEO** dicendum, quod ministri Ecclesiæ a populo separantur, ad vacandum diuino cultui. In cultu autem diuino quædam sunt quæ per potentias determinatas sunt exercenda: & ad hoc datur spiritualis potestas ordinis. Quædam autem sunt quæ communiter à toto ministrorum collegio fiunt, sicut, dicere diuinas laudes: & ad hoc non præexigitur aliqua potestas ordinis, sed solum quædam depuratio ad tale officium; & hoc fit per coronam: & ideo non est ordo, sed præambulum ad ordinem.

**Ad** primum ergo dicendum, quod corona habet meritis aliquid spirituale quod ei respondet, sicut signatum signo; sed hoc non est aliqua spiritualis potestas: & ideo in corona non imprimitur character, nec est ordo.

Ad

*ca. clericos  
21. d. c. cñ  
cōtingat  
de state,  
et qualis.  
c. ult. de  
tēp. ord.  
lib. 6.*

Ad secundum dicendum, quod quamvis per coronam non imprimatur character, tamen deputatur homo ad diuinum cultum. Et ideo talis deputatio debet fieri per summum ministrorum, scilicet per Episcopum, qui etiam vestes benedicit, & vasa & alia omnia quæ ad diuinum cultum applicantur.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod aliquis est clericus, est in altiori statu, quam laicus; non tamen habet ampliorem potestatis gradum, qui ad ordinem requiritur.

## ARTIC. III.

*Utrum per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis?*

065

\*epist. ad  
Nepot. in  
ter prin.  
med.  
to. 1.  
\*Deut. 10  
c. 18.  
† lib. 2. de  
sacr. p. 3.  
c. 1. circa  
finem.

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis. Ipsi enim dicunt, cum coronantur Dominus pars hereditatis meæ. Sed sicut dicit Hieron. \* Dominus in his temporalibus pars fieri designatur. Ergo abrenuntiant temporalibus.

¶ 2 Præterea, Iustitia ministrorum noui Testamenti, debet abundare super ministros veteris Testamenti, ut patet Marth. 5. Sed ministri veteris Testamenti, scilicet Leuitæ, non acceperunt partem hereditatis cum fratribus suis. Ergo nec ministri noui Testamenti habere debent.

¶ 3 Præterea, Hug. † dicit, quod postquam aliquis est factus clericus, debet deinceps de stipendijs Ecclesiæ sustentari. Sed hoc non esset, si patrimonium suum retineret. Ergo videtur quod abrenuntiet in hoc, quod sit clericus.

SED contra est, quod Hieremias fuit de ordine sacerdotali, ut patet Hierem. 1. Sed ipse habuit possessionem hereditatis, ut patet Hierem. 32. Ergo clerici possunt habere patrimonialia bona.

¶ Præterea, Si hoc non possent, non videretur tunc differentia inter religiosos & clericos seculares.

RESPONDEO dicendum, quod clerici in hoc quod coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio, nec